

Lætare, filia Sion, ecce ego venio.

Léctio libri Zachariæ prophétæ

2, 14-17

- ¹⁴ **I**úbila et lætáre, filia Sion,
quia ecce ego vénio
et habitábo in médio tui,
ait Dóminus.
- ¹⁵ Et applicabúntur gentes multæ
ad Dóminum in die illa
et erunt ei in pópulum.
Et habitábo in médio tui,
et scies quia Dóminus exercítuum
misit me ad te.
- ¹⁶ Et possidébit Dóminus Iudam
partem suam super terram sanctam
et éliget adhuc Ierúsalem.
- ¹⁷ Síleat omnis caro a fácie Dómini,
quia consurréxit de habitáculo sancto suo.
- Verbum Dómini.